

efficere quod penè impossibile sit fieri. Clara stella in eius humero, quæ dicitur Cæpra, facit natum sollicitum, & nimia trepidatione curiosum, & omnes res desiderantem, impatienti cupiditate, appetentem noua dicta, & timidum ex leuibus occasionibus, ex quibus non deberet timere. Stellæ in eo quæ dicuntur hœdi, faciunt lasciuum, uino & epulis deditum, aptum omnibus ludis, solertem, & uarium antequam quiescat, timentem suæ salutis.

Serpentarij uel Ophiuchi imago, facit natum industrium quærentem sibi uitæ cum magno labore.

Sagittæ constellatio, natum facit uagabundum, & lustrantem multas regiones, gaudebit armis missilibus, uel arte sagittandi.

Aquilæ constellatio facit natum perigrinantem, iniustum. Sed clara stella, quæ dicitur Aquila uolans, facit natum rapacem, militarem, animosum, fortem, & spolijs inimicorum gaudentem.

Delphini constellatio facit natum iocosum, hylarem, & magnopere gaudentem arte natandi, ut nunc sub aqua, nunc super aquas natet, ac etiam gaudet musica, in qua saltatur, gestitur corpore, seductor em etiam facit, libenter etiam audiet nouitates, & erit semistultus.

Pegasi imaginis constellatio natum faciet curiosum inquisitorem, & gaudentem in arte Medicinæ.

Andromadæ constellatio, natum facit contra alios homines crudeli ferocitate grassantem, & affectantem esse ministrum publicarum pœnarum, & desiderantem mortem suorum, alacrem, iocosum, luxuriosum, & in periculis facile labentem.

Trianguli constellatio, natum facit uacillantis, & difficilis uitæ, sed studiosum mathematicarum artium.

### De imaginibus meridionalibus.



Eti imago cum suis stellis, inclinât natum ad gulositatem & ebrietatem, gaudet rapina, ac etiam uenatione magnorum piscium.

Orionis imago, facit natum uarijs sollicitudinibus implicatum, ita quod semper æstuet peruigili cogitatione, cupidus mutare domicilia, sed miseria afflictus, clara eius stella quæ dicitur Orion uel Iugulæ, facit natum irreligiosum, peridum, & ad omne uenationis studiū inclinatū & rapacem.

Leporis constellatio, natum facit industrium, uigilem, timidumq; qui sua sponte nihil boni faciat, uagabundum.

Canis maioris constellatio, & maxime clara eius stella, quæ dicitur Canicula in lingua, natum facit effrenatum, & ad omne studium cuiuscunq; facinoris facile applicantem, inhumanum, uiolentum, iracundum, terribilem, minacem, superbum, & superbo sermone elatum, sed incauti sermonis.

Procion uel minor Canis, maxime clara stella, quæ dicitur Algomeysa, facit natum gaudere nec tendis dolis, sed non exequitur, faciet etiam fidelem suis amicis, blandum, officiosum, inquisitorem in alienorum negociorum.

Crateris constellatio, facit natum gulosum, gaudentem multo mero, & totam mentem in poculis habentem.

Centauri imaginis constellatio inclinât natum ad amandos equos domandos docendosq; & ad armorum studium ac tractationem. Et ita erit eius affectus, ut in omnibus infirmitatibus iuuent, & non expectent, quod gemant neq; languescant, sed statim remedium sibi afferant.

Aræ uel putei ardentis constellatio, facit natum gaudere administratione officiorum diuinorum in templo, & uatem futuri, tamen erit maleficus incantator, & multa mala faciet per spiritus & incantationes.

Piscis